



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Emblema 3. Me oportet minui, illum crescere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)



cum aureo illo Doctore Angelico exclamare, O felix æternitas & æterna felicitas ! quæ quò vlteriùs crescat habet nihil. Præsertim cum ille vnicus æternitatis dies, qui omnium sæculorum suo perenni in puncto includit volumina, eo in sole iustitiæ consistat, in quo nullus obscurior nœuis purissimam illam lucem violat; uti fit in sole, in quo nuper, haud secus atque in lunâ, sagaces Astrologi maculas ( etsi nonnulli negent ) aduertère. De quo solis vitio, Scheinerus librum edidit: nimirum nihil omni ex parte beatum mortales in terris suspiciunt.

4. Caua luna. Deprehenderunt nuper Astrologi Veneris stellam, luna instar, nunc in plenum caput conglobari, & crescere, & postmodum in caua cornua retexi, & decrescere. Quod sane Ioannis è Christi vaticinio belle conuenit, cum ipse sit natus ( ut aduertit Augustinus ) circa æstiuum Solstitium, ubi dies incipiunt minui; Christus vero circa solstitium brumale, à quo dies suum inchoant incrementum.

Emblema 3.

Me oportet minui, illum  
crescere.

1. Sol sublimis, sub quo
2. Humilis Iris, cui inscribas aureis litteris  
Humilis sublimi sole.
1. Christus.
2. Ioannes.

Sapphia



*Sapphicum.*

Sol vbi pronus ; decus in superbum  
 Iris adsurgit : sed vbi decorum  
 Sol caput tollit ; fugit ima curuos  
 Iris in imbres.

## N O T Æ.

Arcus sublimis sole humili , humilis sublimi.  
 Plinius l. 2. c. 61. Iris existit vbi radius immissus  
 cauæ nubi. *Gratia Christi Ioanni se nihil esse asti-*  
*manti nisi quid obscurū, infusa, eū illustrat & ornat.*  
 Repulsa acie in solem refringitur. *Se non Mes-*  
*siam esse fatetur ; sed id nomen in ipsum Christum*  
*reijcit.*

Vnde colorum varietas, mistura, nubium,  
 aëris, igniumque. *Effloret varia virtus in Ioanne,*  
*qui mera Vox, & aër, item ignis, vt Lucerna ar-*  
*dēs. Certè nō fit nisi aduerso sole (sic & nō nisi in*  
*utero, etiam necdum natus, ab Christo sibi obuio, ani-*  
*ma pulchritudinem hausit.) Hæc Iridis est pulchra*  
*& breuis è Plinio descriptio.*

Ioannes, vbi Herodis animo reprehensionis  
 aculeum infigit, ob incestum  
 cum Herodiade ; sibi ipsi mor-  
 tem accersit.

*Emblema 4.*

*Animamq; in vulnere ponit.*

I iij

Io. Apic